

EPISTULA LEONINA

CLXIII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEXAGESIMAM TERTIAM (163) !

ARGUMENTA

FABER EST SUAE QUIS FORTUNAE.....	05
VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (VIII).....	06 - 08
HORAE GENERIS HUMANI STELLARES (II) (<i>Zweig</i>).....	09 - 15
DE TYRANNIDE (<i>Teresi</i>).....	16 - 19
ECHUS VOCES (<i>Teresi</i>).....	20

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre *Epistulam Leoninam centesimam sexagesimam tertiam*. Ex illo *Orbe Picto Pentaglotto*, quae est ingens aurifodina verborum, vocabula excerpere Latinêque reddere perrexi nonnulla *theatrica atque musica* addens. Tales labores lexicographicos eo vehementius studeo exanclare, cum sciam Academiae Latinitati Fovendae (ALF) in votis esse novum Lexicon Latinum condendum. A *Patre Caeleste* alias *Iosepho Antonio Eichenseer* vivo sermone Latino necnon arte voces Latinas oblivione obrutas reperiendi novasque confingendi imbutus his quattuor decenniis versiones Latinas indicesque verborum innumeros componens numquam desii incumbere in lexicographiam Latinam colendam. Prioribus temporibus nova verba Latina in commentariis Latinitatis Vaticanis et in Voce Latina Saravipontana saepius tractata sunt. At postquam Caelestis Eichenseer fatis concessit, in nullo iam periodico Latino neologismi tractantur nisi in **EPISTULIS LEONINIS** – ignosce, cara Lectrix, care Lector, paene oblîtus sum *Gaium Licoppe Belgam* medicum quondam radiologum de Latinitate Vivâ optimê meritum nuper in *MELISSA 195* scripsisse “*De necessario lexico neologismorum Latinorum*”. Idem veteranus neolatinus indefessus, immo florentissimus mox Romae in conventu Academiae Latinitati Fovendae (ALF) acroasin faciet lexicographicam necnon de lexicographiâ ibidem loquetur alter veteranus Latinitatis Vivae, *Iohannes Carolus Rossi*, quocum iam per litteras de vocabulis

Latinê reddendis aliquando collocutus sum. Utramque acroasin exspecto animo suspenso auribus attentissimis auditorus.

Praeter lexicographica hac in Epistulâ Leoninâ quid Tibi praebeo legendum, cara Lextrix, care Lector? Et *Zweigiana* et *Teresiana*. Quid haec sibi volunt? Tolle lege laetare: utinam tibi placeant!

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

Die Dominicâ, 22. m.Apr., a.2018



FABER EST SUAE QUISQUE FORTUNAE

SALLUSTIUS *Epistulae ad Caesarem senem de re publica* II 1, 2: Pro vero antea obtinebat, regna, atque imperia, fortunam dono dare, item alia, quae per mortalis avide cupiuntur: quia et apud indignos saepe erant, quasi per lubidinem data; neque cuiquam incorrupta permanserant. Sed res docuit id verum esse, quod in carminibus Appius ait, "**Fabrum esse suae quemque fortunae:**" atque in te maxime, qui tantum alios praetergressus es, uti prius defessi sint homines laudando facta tua, quam tu laude digna faciundo.

VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (VIII)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum decimam, quae spectat ad res accessorias. Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM –
IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI. NUTRIMENTA ET
INSTRUMENTA COQUINARIA – VII. DOMESTICA – VIII. AUTURGIA
ET HORTICULTURA – IX. VESTIMENTA – X. RES ACCESSORIAE
PERSONALES – XI. ARTES ET ARCHITECTURA –
XII. COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA –
XIII. TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV. ENERGIA – XV.
SCIENTIAE – XVI. ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habes partem **ARTIUM ET ARCHITECTURAE septimam (VII)** vocabulis Latinis ditificatam. Faveas, quaeso, operi nostro laborioso.

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

(Sequetur VOCABULORUM ARTIS ET ARCHITECTURAE PARS (IX))

theodiscē	anglicē	francogallicē	hispanicē	italicē	LATINĒ
p.431 Bühne	stage	scène	escenario	palcoscenico	scaena , -ae f.
Hauptvorhang	stage curtain	rideau de scène	telón de boca	sipario	aulaeum , -ī n.
links	opposite prompt side	côté cour	derecha del espectador	lato di destra	latus dextrum
Hinterbühne	upstage	lointain	fondo del escenario	muro di fondo	recessus scaenae
rechts	prompt side	côté jardin	derecha del actor	lato di sinistra	latus sinistrum
Soffitte	border	frise	reborde	cioletto	pannī suffixī
Rampenlicht, Fußlicht	footlights	rampe	proyectores	ponte luce	lūcernae pedālēs
Parterre	parterre	parterre	platea	platea	spectācula pedeplāna „Parterre = Sitzreihen zu ebener Erde“. [1.OLD 1800 s.v. spectaculum 3: “(pl.) the places occupied by spectators in a theatre” 2.Peter Stotz, Hdb. z. lat. Sprache des Ma., p.869: „pedeplanus, -a, -um ‚ebenerdig‘ VI, 163.1“]
erster Rang	corbeille	corbeille	luneta	prima galleria	spectācula prīma
erster Rang	dress circle	balcon	balcón	seconda galleria	spectācula secunda
Sitzplätze	seats	fauteuil	butacas	posti a sedere	sēdēs , -ium f.pl.
Reihe	row	rangée	fila	fila	ōrdō , -inis m.
Loge	box	loge	palco	palchetto	spectāculum altum
Mitte	centre	centre	centro	centro	centrum , -ī n.
Seite	side	côté	lado	lato	latus , -eris n.
Scheinwerfer	spotlights	projecteurs	focos	proiettori	lūcernae , -ārum f.pl.
Akustikdecke	acoustic ceiling	plafond acoustique	techo acústico	soffitto acustico	lacūnar acūsticum
Regieraum	control room	régie	cabina de control	cabina di regia	diaeta moderandī
Bar	bar	bar	bar	bar	*potātrīna , -ae f.
Foyers	foyers	foyers	foyer	foyer	vestībula theātrī [Societas Latina 33]; ātria theātrī [Eichenseer 81,120];
Treppe	stair	escalier	escaleras	scala	scālae , -ārum f.pl.
Garderobe	dressing room	loge d'artiste	camerino	camerino	vestiārium , -ī n. [Perugini 1976,2032]
Zuschauerraum	house	salle	sala	sala	oecus theātrī
p.432 MUSIK	MUSIC	MUSIQUE	MÚSICA	MUSICA	MŪSICA
traditionelle Musik- instrumente	traditional musical instruments	instruments traditionels	instrumentos musicales tradicionales	strumenti musicali tradizionali	mūsica instrūmenta trānslātica
Akkordeon	accordion	accordéon	acordeón	fisarmonica	harmonica dīductilis [He.70 s.v. Akkordeon]
Balgen- verschluss	bellows strap	fermeture de soufflet	seguro del fuelle	cinghia del mantice	clūsūra follīna [2.PRISC.2,58]
Knopf	button	bouton	botón	bottone	+bōto , -ōnis m.

Basstastatur	bass keyboard	clavier accompagne-ment	teclado de bajos	bottoniera dei bassi	*bōtōnārium , -ī n. *bassōrum
Bassregister	bass register	registre des basses	registros de bajos	registro dei bassi	epitonium *bassōrum
Balg	bellows	soufflet	doble fuele	mantice a soffietto	follis duplex
Gitter	grille	grille	rejilla	mascherina	trānsenna , -ae f.
Taste	key	touche	tecla	tasto	plēctrum , -ī n. [Eichenseer 81,90];
Diskanttastatur	treble keyboard	clavier chant	teclado triple	tastiera degli acuti	*clāviātūra +discantūs [1. He. s.v. Klaviatur, p.31 1890, Bartal 01,132; 2.He.s.v. Diskant, p.160: 1326, Latham 65,148]
Diskantregister	treble register	registre des aigus	registro de altos	registro degli acuti	epitonium discantūs [1.VITRUV.10,8,3]
Mundharmonika	harmonica	harmonica	armónica	armonica a bocca	harmonica (In)flātilis [SL 36,37]
Dudelsack	bagpipes	cornemuse	gaita	cornamusa	fistula bīcornis ; tībia ūtriculāris ; fistula ūtriculāris
Bordunpfeife	drone pipe	bourdon	gran roncón	bordone	fistula +bombyliī [cfr fr.; +bombylius i.q. fr. bourdon, angl. bumble bee, theod. Hummel]
Blaspfeife	blow pipe	tuyau d'insufflation	portaviento	cannello	fistula flātilis
Aufsatzstück	stock	monture	cabo	base	basis , -is f.
Melodiepfeife	chanter	chalumeau	caramillo	canna della melodia	fistula melodiae
Windsack	windbag	sac	saco de piel	sacco	saccus ventōsus
Zither	zither	cithare	citara	zither	cithara , -ae f.
Griffbrett	fingerboard	touche	traste	tastiera	*chordārium , -ī n. [He. s.v. p.248: Holzer, Societas Latina 39,5]
Resonanzdecke	soundboard	caisse de résonance	caja de resonancia	tavola armonica	tabula harmonica
Freisaiten	open strings	cordes d'accompagnement	cuerdas da acompaña- miento	corde per l'accompagna- mento	chordae *comitātīvae [2.M.G.Kovachich. Formulae solennes styli, Pest 1799 1799,69]
Melodiesaiten	melody strings	cordes de mélodie	cuerdas melódicas	corde per la melodia	chordae melodiae
Banjo	banjo	banjo	banjo	banjo	pandūra āfricāna
rundes Korpus	circular body	circular body	caja circular	cassa armonica circolare	corpus circulāre
p.433 Mandoline	mandolin	mandoline	mandolina	mandolino	*mandolīna , -ae f.
birnenförmiges Korpus	pear-shaped body	caisse bombée	caja media pera	cassa armonica piriforme	corpus *piriförme
Balalaika	balalaika	balalaika	balalaica	balalaica	*balalaica , -ae f.
dreieckiges Korpus	triangular body	caisse triangulaire	caja triangular	cassa armonica triangolare	corpus triangulāre
Kora	kora	kora	kora	kora	*cōra , -ae f.
Hals	neck	manche	mástil	manico	collum , -ī n.
Saiten	strings	cordes	cuerdas	corde	chordae , -ārum f.pl.

Stimmring	tuning ring	attache d'accordage	anillos de sonido	anello d'accordatura	ānellus +accordandī
Klangfell	snare head	peau de timbre	piel armónica	pelle armonica	pellis harmonica
Steg	bridge	chevalet	puente	ponticello	ponticulus, -ī m.
Saitenhalterung	tailpiece	cordier	cordal	cordiera	*chordātūra, -ae f.
Resonanzkörper	sound box	caisse de résonance	caja resonancia	cassa di risonanza	corpus resonantiae
Handgriff	hand post	support de main	soporte de la mano	poggiamano	manubrium, -ī n.
Lyra	lyre	lyre	lira	lira	lŷra, -ae f.
Querjoch	crossbar	traverse	travesaño	traversa	iugum trānsversum
Jocharm	arm	montant	brazo	braccio	bracchium, -ī n.
Resonanzdecke	soundboard	caisse de résonance	caja de resonancia	tavola armonica	tabula harmonica
Plektron	plectrum	médiator	púa	pietiro	plēctrum, -ī n.
Maultrommel	Jew's harp	guimbarde	birimbao	scacciapensieri	+trombula, -ae f. +crembalum, -ī n. []
Rahmen	frame	cadre	estructura	telaio	margō, -inis m./f.
Zunge	tongue	lame	lengüeta de la caña	linguetta	ligula, -ae f.
Panflöte	panpipe	flûte de Pan	zampona	flauto di Pan	tībiae pānicae
Djembe	djembe	djembé	yembé	djembè	tympana caudicea [2.AUSON.Mos.197]
Trommelfell	batter skin	peau de batterie	piel	battitoia	membrāna tympanī
Resonanzkörper	sound box	caisse de résonance	caja de resonancia	cassa di risonanza	corpus resonantiae
Spannschnur	tension rope	corde de tension	cuerda de tensión	corda di tensione	chorda tēnsiōnis
Sprechtrommel	talking drum	tambour d'aisselle	tambor hablante	tamburo parlante	tympana loquāx
Trommelschlegel	drumstick	mailloche	baqueta	mazzuolo	plēctrum tympanī

**Haec vocabula artis et architecturae
excerpsit et in Latinum convertit
Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



0<http://www.leolatinus.de/>

STEFAN ZWEIG

Sternstunden der Menschheit.
Zwölf historische Miniaturen. Stockholm 1943.

HORAE
GENERIS HUMANI
STELLARES

Duodecim imagunculae historicae (II)

quas scripsit

Stefanus Zweig

Opus originale editum est a.1943
Holmiâ in urbe Suetorum principali.

In Latinum convertit

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS



STEFAN ZWEIG

(1881-1942)

Stefan Zweig

Sternstunden der Menschheit



XX

Fuga in immortalitatem facta (II)

XX

Quomodo inventus sit Oceanus Pacificus

d. 25.m.Sept. a.1510



VASCO NONIUS DE VALLE BONA
alias Vasco Núñez de Balboa

(1475-1519)

cfr EL 146, p.8-14: pars prima.

Vir cistae inclusus

Plenis velis navis *Encisii ex Hispaniola* vehitur versus americanam terram continentem, ut insulae lineamenta navigantibus iam demergi videantur in caelum caeruleum. Iter est quietum nihilque extraordinarii est notandum nisi id quod ingens canis molossus, qui est eximio robore – est enim filius *Becericonis* canis molossi illius illustris et ipse in claritudinem pervênit sub nomine *Leunculi* – qui inquietus in stegâ currit huc et illuc et ubique odoratur. Nemo scit, cuius sit haec bestia ingens et quomodo in navem venerit. Denique apparet canem non averti posse a quadam cistâ penuariâ perquam magnâ, quae ultimo die in navem transportata erat. At ecce inexpectatê ex hac cistâ ultro apertâ enititur vir aetatis ferê triginta quinque annorum gladio et casside et scuto bene armatus tamquam Iacobus Castiliae vir sanctus. Qui est *Vasco Nonius de Valle Bonâ*, qui hâc modo primum specimen praebet mirandae suae audaciae atque inventionis. In *Civitate Caerianâ* sive *Famâ Iuliâ* e gente nobili oriundus îdem Vasco Nonius miles simplex unâ cum *Roderico de Bastidas* in Novum Mundum navigaverat et post nonnullos errores denique nave ad Insulam Hispaniolam appulerat. Gubernator autem frustra conatus erat Nonium de Valle Bonâ facere colonum frugalem; paucis mensibus transactis Nonius reliquit praedium sibi attributum et est tam vehementer obaeratus, ut nesciat, quomodo effugiat suos creditores. At cum ceteri debitores compressis manibus torpidis oculis e litore spectant ad naves gubernationis, quibus impeditur, ne fugiant in navem Encisii, Nonius de Valle Bonâ audacter praetenturam praeterit Didaconis Columbi eo, quod se abdit in vacuum cistam penuariam et curat se a gerulifigulis in navem transportandum, ubi tumultu profectionis efficitur, ne patefiat dolus procax. Eo demum tempore, quo scit navem a litore esse remotiorem, quam ut sui causâ renavigaretur, vector invisus praesentiam suam patefacit. Nunc adest.

Encisius autem »baccalarius«, ut est iurisconsultus, parum favet viris temerariis. Cum sit *alcalde*, i.e. magister disciplinae publicae in novâ coloniâ servandae, ibidem non vult pati tenebriones et viros rationis solvendae fugientes. Itaque îdem vir Nonio de Valle Bonâ aspero sermone explicat se nequaquam velle illum secum ducere, sed se illum

in litore proximae insulae, quam essent praeternavigaturi, sive esset habitata sive non, expositurum esse.

At eo usque non ventum est. Nam dum navis adhuc versus *Castiliam Auri* gubernatur, eadem incidit in – quod factum est mirabiliter illo tempore, quo nonnullae tantum decuriae navium vehebantur in his maribus adhuc parum cognitis – naviculam, cui insunt multi nautae et quae ducitur a viro, cuius nomen mox personabit per totum orbem terrarum, nomen, inquam, *Francisci Pizarro*. Cuius naviculae vectores veniunt e *Coloniâ Sancti Sebastiani*, quae est Encisii, et primo habentur pro nautis seditiosis, qui suâ sponte officium suum deseruerint. At illi referunt res, quibus Encisius terretur: non iam esse Coloniam Sancti Sebastiani, se ipsos esse ultimos incolas illius coloniae quondam, *Ojedam* praepositum nave suâ aufugisse, reliquis autem, qui nullam navem possedissent nisi duas actuarias, exspectandum fuisse, dum numerus sui morte deminutus esset usque ad septuagenarium, ut duae istae naviculae sibi sufficerent. Quarum actuariarum unam esse aquis submersam; triginta quattuor hos nautas Pizarri esse ultimos Castiliae Auri incolas superstites. Quidnam faciant? His verbis Pizarri auditis Encisiani parum cupiunt reverti in coloniam relictam, ubi sibi immineant caeli temperies paludibus horrenda et sagittae indigenarum venenatae; nihil iis restare visum est nisi ut reverterentur Hispaniolam. Hôc in momento temporis periculoso repente prodit Vasco Nonius de Valle Bonâ. Se primo itinere unâ cum Roderico de Bastidas facto pernovisse totam Americae centralis oram maritimam, necnon se recordari Rodericianos illo tempore invenisse vicum nomine *Darién* in ripâ fluminis cuiusdam aurum continentis, ubi habitarent indigenae mites. Ibidem, non istôc loco infelici novam sedem sibi fore condendam. Statim omnes nautae assentiuntur Nonio de Valle Bonâ. Itaque nunc Encisiani propositum Vasconis Nonii secuti navigant ad isthmum Panamensem ibique indigenis solito more trucidatis cum inter possessiones raptas invenirent etiam aurum, isti viri exleges statuunt hôc loco novam coloniam condere, quam piâ gratâque mente affecti appellant Coloniam Sanctae Mariae Antiquam *Darienam*.

Capitulum alterum

imagunculae historicae

a Stefano ZWEIG scriptae

c.t. »Fuga in immortalitatem facta«

i.e. „*Flucht in die Unsterblichkeit*“

in Latinum convertit



LEO LATINUS

**Tertium capitulum
sequetur!**

DE TYRANNIDE

Materias collegit Iohannes Teresi

De tyrannide quae dicat Cicero

CIC.rep.II 50 fin. Est igitur fragilis ea fortuna populi, quae posita est in unius, ut dixi, voluntate vel moribus.

id. II 47 (47) Videtisne igitur ut de rege dominus extiterit, uniusque vitio genus rei publicae ex bono in deterrimum conversum sit? hic est enim dominus populi quem Graeci tyrannum vocant; nam regem illum volunt esse, qui consulit ut parens populo, conservatque eos quibus est praepositus quam optima in condicione vivendi, sane bonum ut dixi rei publicae genus. sed tamen inclinatum et quasi pronum ad perniciosissimum statum. (48) simul atque enim se inflexit hic rex in dominatum iniustiozem, fit continuo tyrannus, quo neque taetrius neque foedius nec dis hominibusque invisius animal ullum cogitari potest; qui quamquam figura est hominis, morum tamen inmanitate vastissimas vincit beluas. quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omni hominum genere nullam iuris communionem, nullam humanitatis societatem velit?

De tyranno Dionysio infelici quid narret Cicero

CIC. Tusc.disp. V 2,58 Ita propter iniustam dominatus cupiditatem in carcerem quodam modo ipse se incluserat. Quin etiam ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. Ita sordido ancillarique artificio regiae virgines ut tonstriculae tondebant barbam et capillum patris. Et tamen ab is ipsis, cum iam essent adultae, ferrum removit instituitque, ut candentibus iuglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent.

Cumque duas uxores haberet, Aristomachen civem suam, Doridem autem Locrensem, sic noctu ad eas ventitabat, ut omnia specularetur et perscrutaretur ante. Et cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset, eiusque fossae transitum ponticulo ligneo coniunxisset, eum ipsum, cum forem cubiculi clauserat, detorquebat. Idemque, cum in communibus suggestis consistere non auderet, contionari ex turri alta solebat.

VALERIUS MAXIMUS, Memorabilia VI 2 ext.2

Iam illa non solum fortis, sed etiam urbana libertas. senectutis ultimae quaedam Syracusis omnibus Dionysii tyranni exitium propter nimiam morum acerbiter et intolerabilia onera uotis expetentibus sola cotidie matutino tempore deos ut incolumis ac sibi superstes esset orabat. Quod ubi is cognouit, non debitam sibi admiratus beniuolentiam arcessiuit eam et quid ita hoc aut quo merito suo faceret interrogauit. Tum illa 'certa est' inquit 'ratio propositi mei: puella enim, cum grauem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam. Quo interfecto aliquanto taetrius arcem occupauit. Eius quoque finiri dominationem magni aestimabam. Tertium te superioribus inportunior habere coepimus rectorem. Itaque ne, si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat, caput meum pro tua salute deuoueo'. Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit.

ARISTOTELES quid dicat de Pisistrato tyranno De re publica Atheniensium 16,6-7

Τοιαύτης γάρ τινος ἐξόδου τῷ Πεισιστράτῳ γιγνομένης συμβῆναί φασι τὰ περὶ τὸν ἐν τῷ Ὑμητῷ γεωργοῦντα τὸ κληθὲν ὕστερον χωρίον ἀτελές.

Ἴδὼν γάρ τινα παντελῶς πέτρας σκάπτοντα καὶ ἐργαζόμενον, διὰ τὸ θαυμάσαι τὸν παῖδα ἐκέλευσεν ἐρέσθαι τί γίγνεται ἐκ τοῦ χωρίου: ὁ δ' "ὅσα κακὰ καὶ ὀδύνας, ἔφη, καὶ τούτων τῶν κακῶν καὶ τῶν ὀδυνῶν Πεισίστρατον δεῖ λαβεῖν τὴν δεκάτην".

Ὁ μὲν οὖν ἄνθρωπος ἀπεκρίνατο ἀγνοῶν, ὁ δὲ Πεισίστρατος ἤσθεις διὰ τὴν παρρησίαν καὶ τὴν φιλεργίαν ἀτελεῖ ἀπάντων ἐποίησεν αὐτόν.

Οὐδὲν δὲ τὸ πλῆθος οὐδ' ἐν τοῖς ἄλλοις παρηνώχλει κατὰ τὴν ἀρχήν, ἀλλ' αἰεὶ παρασκεύαζεν εἰρήνην καὶ ἐτήρει τὴν ἡσυχίαν· Διὸ καὶ πολλάκις ἀκουεῖν ἦν ὡς ἢ Πεισιστράτου τυραννίς ὁ ἐπὶ Κρόνου βίος εἶη.

Coluccio Salutati (1375) “De vita associabili et operativa” – (*Epistulario: 1360 ca-1406*) -:

Platonicum, imo ipsius philosophie oraculum est, sapientibus necessariam causam esse capessende reipublice, ne improbis flagitiosisque civibus urbium relictis gubernacula pestem bonis ac perniciem ferant... Laudat et extollit agriculturam Cicero, nec inepte: innocentissimum enim ministerium est; ad privatos tamen privatim expectat. Diviniora autem sunt que pro multis fiunt.

(*Epistulario: 1360 ca-1406*): Scio diversos diversimodis etiam ad Deum ambulasse: hi secretam et solitariam viam eligunt, quales eremitas anachoretasque legimus, quales et cenobitas; nec ignoro multos negociosam et associabilem secutos vitam etiam ad Dei gloriam pervenisse. [...] Nam quamvis solitaria putetur tutior [solitaria via], non est tamen; et honeste et honesti vacare negociis, nisi sanctum, forte est sanctius quam solitarium ociari. Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest, ut ille ait. Negociosa vero sanctitas multos edificat, quia multis patet, pluresque secum ducit in celorum aditum, quia pluribus prebet exemplum. (*De Tyranno saeculo XV*)

Non credam Antonium Luschum meum, qui Florentiam vidit, nec aliquem alium, quisquis fuerit, si florentinam viderit urbem istam, esse vere florem et electissimam Italiae portionem, nisi prorsus decipiat, negaturum. Quenam urbs, non in Italia solum, sed in universo terrarum orbe, est moenibus tutior, superbior palatiis, ornatior templis, formosior aedificiis? [...] Ubi mercatura maior, varietate rerum copiosior, ingeniisque subtilioribus exercitior? Ubinam viri clariores? ... ubi Dantes? Ubi Petrarca? Ubi Boccacius? (*Salutati, Invectiva in Antonium Luschum, in Prosatori latini del Quattrocento, Milano-Napoli 1952, p. 34.*)

Concludamus igitur tyrannum esse qui invadit imperium et iustum non habet titulum dominandi, et quod tyrannus est qui superbe dominatur aut iniustitiam facit vel iura legesque non observat; sicut e contra legitimus princeps est, cui iure principatus delatus est, qui iustitiam ministrat et leges servat. (*Il trattato “de tyranno” e lettere scelte – Francesco Ercole – Bologna 1942, p.9*)

Et licet contingat eversionem tyrannicam a populo comprobari, licet summa felicitas liberatis quesita sit et liberatori vel liberatoribus summa laus premiis etiam immortalibus cumulata, principium tamen, si iusta defuncti ratio, fuit iniustum. Sed prosperum ac felix scelus virtus vocatur. Me tamen iudice, sicut iuste tyrannum conficiens omni laude cumulandus et celebrandus est, sic iniuste dominum, licet inique regentem, occidens omni supplicio omnique pena dignissimus dici debet. Nam, licet quilibet patrie sit obnoxius, ut etiam vitam debeat saluti rei publice dedicare, nullum tamen vinculum nullaque obligatio cogit, ut aliquid, licet utile rei publice cognoscatur, debeat cum scelere procurari. Tanta quidem honestatis vis est, legum et auctoritatis rei publice ... Et quis erit qui sine licentia publica, sine imperatore vel duce, se iuste putet, etiam ad liberandam patriam, arma movere?

Non ponat igitur aliquis animam suam in manu sua, nec de voluntate sua faciat rationem et in dominum suum, licet etiam tyrannum se gerat, insurgat. Auctoritate superioris aut populi facienda sunt hec, non affectione propria presumenda. Non potest enim morte dignus et publice criminosus iure a quolibet interfici, sed solum superioris edicto formaque que fuerit publicis legibus ordinata. Quam qui dimiserit, reus erit. (*De tyranno, Caluccio Salutati; p. 19*)

Testimonia collegit

Johannes Teresi

ECHUS VOCES

Am 19.04.2018 um 08:34 schrieb teresi_giovanni@libero.it:

Exornatissime ac doctissime Director,

legi et iterum legi fabulam a germanis fratribus confectam toto ex corde gratulor Vobis quia scivistis optime in sermonem eam vertere. In somnio narrationem latinam audire et sensibus accensis sentire videtur. Nam narratio latina fascinatione seducit et aerem somniantem creat ut in fabula vivas. Et profecto vivitur cum herois fabulae. Utinam labor similis saepe ad rem adveniat ut cruciatus mentis cordisque mitigentur et vita vacua coloribus somniantibus induatur.

Valete

Johannes Teresi

Nicolaus Iohanni sal.pl.dic.

Care Iohannes,

valde gaudeo, quod mihi scribis verbis tam benevolis versionem meam tibi placere. Talibus enim laudibus acceptis animus meus tam vehementer refocillatur, ut libenter pergam scribere opuscula mea Latina. Gratias plurimas!

Medullitus te salutatur

Nicolaus Groß

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEXAGESIMAM TERTIAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Dominicâ, 22. m.Apr. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>